



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XXV. In quibus firma pax cordis, & verus profectus consistit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

meum , & abscondita revelarem , si adventum meum diligenter obser- vares , & ostium cordis mihi ape- rires.

Esto providus & vigila in oratio- nibus , & humilia te in omnibus .

## C A P U T   X X V .

*In quibus firma pax cordis , & verus profectus consistit.*

1. **F**illi , ego locutus sum : Pacem relinquo vobis , pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat , ego do vobis .

Pacem omnes desiderant ; sed quæ ad veram pacem pertinent , non om- nes curant .

Pax mea cum humilibus & man- suetis corde . Pax tua erit in multa patientia .

Si me audieris , & vocem meam secutus fueris , poteris multâ pace frui .

2. Quid igitur faciam ?

3. In omni re attende tibi , quid facias ,

facias , & quid dicas : & omnem intentionem tuam ad hoc dirige , ut mihi soli placeas , & extra me nihil cupias, vel quæras.

Sed & de aliorum dictis vel factis nil temerè judices: nec cum rebus tibi non commissis te implices ; & poterit fieri , ut parum vel raro turberis.

Nunquam autem sentire aliquam turbationem , nec aliquam pati cordis vel corporis molestiam , non est præsentis temporis , sed status æternæ quietis.

Non ergo æstimies te veram pacem invenisse , si nullam senseris gravitatem : nec tunc totum esse bonum , si neminem pateris adversarium : nechoc esse perfectum , si cuncta fiant secundùm tuum affectum.

Neque tunc aliquid magni te reputes, aut specialiter dilectum existimes , si in magna fueris devotione atque dulcedine : quia in ipsis non cognoscitur verus amator virtutis; nec in ipsis consistit profectus & perfectio hominis.

4. In

4. In quo ergo, Domine?

5. In offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ; non quærendo quæ tua sunt, nec in parvo nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate.

Ita ut una æquali facie in gratiarum actione permaneas, inter prospera & contraria, omnia æquâ lance pensando.

Si fueris tam fortis & longanimis in spe, ut subtractâ interiori consolatione, etiam ad ampliora sustinenda cor tuum præparaveris, nec te justificaveris, quasi hæc tantaque pati non deberes.

Sed me in omnibus dispositionibus justificaveris, & sanctum laudaveris: tunc in vera & recta via pacis ambulas, & spes indubitata erit, quod rursus in jubilo faciem meam sis visurus.

Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris, scito quod tunc abundantia pacis perfruēris, secundum possibilitatem tui incolatus.

CA-